

Libertas patriam reddens sibi, Paxque decora,  
Ac tutus comitatur Honos. favet ore, ducisque  
Mores miles habet, devotaque pectora morti  
Vitam & pacatos promittunt civibus annos.  
Curritur ad venientem, ampliarum strata  
viarum

Effusa sub plebe latent, urbs tota figuram  
Deponit veterem, vultusque imitatur amici  
Hospitis; acclamant leti patresque tribusque:  
Venisti, bone, spes sobolis votumque parentum,  
Venisti tandem multum expectatus? egebat  
Vindice te status hic, qui nec mutare, nec, hoste  
Converso in pretium, per munera morte pianda  
Subrueris misere, aut vano illaquearis honoris  
Promissi specie, ut vel turpis transfuga fias,  
Vel magis hoc noceas persona tectus amici;  
Quale hominum semper parvum genus ille re-  
demptor

Dedecorum notus nostra inter viscera querit,  
Inque suos transfert nobis pereuntibus usus.  
O qua terrarum nunctandem parte moratur,  
Aut quos Simplicitas Germana aufugit ad Indos!  
Iupiter (haud alio hac nam culpa reciditur un-  
quam

Supplicio, quidvis temere indulgentibus illis  
Quos